MEMORIÆ
HONORI
GLORIÆ
DIVI

FRIDERICI

BORUSSORUM
REGIS

&c. &c. &c.

Pietatis in Principem
Officii in Dominum
Gratæ mentis in Evergetam
MONUMENTUM

P.

JOH. THEOD. JABLONSKI,
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM SECRETARIUS.

BEROLINI,
M. D. CC. XIII.

Digitized by Google

ÆTERNITATI

S.

Digitized by Google

A Deſte Populi,
Concurrite Cives,
Spectate Exteri,
Principem lugete,
Cujus ad Divos ſublati
Tantum exiſtit Deſiderium,
Quanta inter vivos agentis
Fuit Admiratio.
Is eſt

FRIDERICVS

REX Boruſſiæ primus,
è Marchionibus Brandenburgicis
S.R.I. Archi-Camerarius &
ELECTOR duodecimus,
Arauſionis, Neocomi, Vallengini,
ſumma cum poteſtate PRINCEPS,
Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stettini,
Pomeraniæ, Caſſubiorum & Vandalorum, Meckelburgi, & in Sileſia Croſnæ DUX
BURGGRAVIUS Norimbergenſis,
PRINCEPS Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalorum, Sverini, Ratzeburgi Murſiæque
COMES Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergæ, Hohenſteini, Tecklenburgi,
Lingæ, Sverini, Buhræ & Lehrdami,
MARQVIS Vehræ & Vliſſingæ,
DOMINUS Ravenſteini, terrarum Roſtochii,
Starogardiæ, Lauemburgi, Butoviæ,
Arlæi & Bredæ
&c. &c.
Tot Provinciarum
non Imperio magis quam Amore
Dominator.

Digitized by Google

PIUS
qui Religionem
Sanctam, puram, opere non ore,
Nec verbis tantum, sed re
Probatam
Animo amplexus IPSE coluit, &
Colendam aliis Exemplo monstravit.
Christianismum
Non ad humanam Conspirationem,
Sed ad sacrorum Oraculorum inspirationem
exigens,
Eundem Patrem DEUM colentes,
Eandem Matrem Ecclesiam
Omnes agnoscere, &
Idem Caput venerantes
In *Unum Corpus* compingi
censens,
Sanctam *Charitatis* Unionem,
Quantumvis *Formulis* dissiderent,
ostendit, suasit, conciliare optavit. (*a*)
Per causam Religionis
pulsos alibi paternis sedibus
Confessores, (*b*)
SUIS ditionibus exceptos,
Beneficiis cum Domesticis exæquavit,
Ut quos alienus *Furor*
Patriam Exilio mutare coegerat,
SUA *Beneficentia*
In Exilio Patriam invenirent.
Templa Ædesque sacras
Advenis, Civibusque promiscue
Per Provincias passim (*c*) excitavit,
Ut pari passu
Regionis incrementa &
Divini cultus procederent,

Quosque

(*a*) *Conciliis Irenicis hoc fine agitatis.*
(*b*) *E Gallia, Palatinatu, Polonia &c.*
(*c*) *Regiomonti, Memelæ, Magdeburgi, Ruppini, Brandenburgi, Selichovia, præterea minores per oppida & vicos, quorum numerum inire difficile.*

Digitized by Google

Quosque *subjectos* SIBI
A Supremo Numine acceperat,
Numinis obsequio vicissim
rite subjicerentur.
In sola *Regia*
plures quam à Majoribus
Conditas invenit
Unus *novas* fundavit (*d*)
magnifice perfecit,
parique munificentia dotavit,
Pietatem Principis,
Seris nepotibus commendatura
Monumenta.
Pari foris atque domi
Veræ Religionis cura
Eam apud Exteros (*e*) profitentes
Consilio, Intercessione, Patrocinio
adjuvit:
Pro Suis agnoscens
Qui Secum communibus Sacris operarentur,
& Rem DEI tanquam SUAM agendo
SUARUM vicissim rerum Actorem DEUM
SIBI conciliavit.

FELIX

qui
Fortunam Domus *Honoribus* extulit,
Splendori Familiæ supremum *apicem* adjecit.
Regias Opes
Regio Axiomate
Non aliunde accepto, (*f*)
sed SUA voluntate suscepto,
consummavit.
IPSE suæ Auctor dignitatis,
SUI Regni conditor,
SIBI *novum* Decus quæsivit,
Borussiæ *priscum* (*g*) restituit.

(*d*) *Decem in universum numerantur à fundamentis exstructæ.*
(*e*) *In Palatinatu, in Polonia, apud Silesios, Hungaros, &c.*
(*f*) *Ut in aliis regnis, Castiliæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Neapolis, Poloniæ, Bohemiæ, accidisse historiæ loquuntur.*
(*g*) *Quam Waidewuto Rege dominatam famæ est.*

Digitized by Google

Regale Solium
Non per infeſtas acies, &
Funeſtas repugnantium ſtrages,
Sed per plaudentium catervas,
Tranquillus aſcendit,
Gratulantibus etiam qui inviderent.
Diadema Regium
Fatis monſtratum, (*h*)
Vatibus cantatum, (*i*)
Providentia oblatum, (*k*)
IPSE SIBI impoſuit,
Poſteris gerendum tradidit,
In Secula manſurum.
Rem difficillimam ſtupenda facilitate, &
Quod fieri poſſe nec credebatur,
vix agi cœptum
mirante Orbe confecit
AUGUSTUS
Avitum Patrimonium
Paterna fortuna late auctum (*l*)
Vaſtis Acceſſionibus
Ex *Providentia* Majorum (*m*)
Ex *priſco Jure* vindicato (*n*)
Ex *Pactis* & conventionibus (*o*)
Ex Imperiali *munere* (*p*)
In tantum ampliavit,
Ut haud minus ILLI debeant *Poſteri*,
Quam IPSE *Majoribus* debuiſſet.
Tot incrementorum titulos,
Qui parce *ſingulis ſinguli* obveniunt,
Univerſos in Unum cumulante Providentia.

SA-

(*h*) *Prædixit eam dignitatem Familiæ Suæ Joachimus I. Elect.*
(*i*) *Simoni Dachio Regiomontano & Bodekero Pomerano in Genethliacis Friderico nato dicatis.*
(*k*) *Per aſſertum Boruſſiæ jus ſummæ poteſtatis, quod Regnis proprium, & ſapientia rerum momenta quo tempore de ſuſcipiendo titulo agi cœptum eſt.*
(*l*) *Per legem Pacis Weſtphalicæ, Tranſactionem Velavienſem &c.*
(*m*) *Teſtamento Friderici Henrici, Principis Arauſionenſis, Avi materni.*
(*n*) *In principatus Neocomenſem & Vallengini.*
(*o*) *Quibus Tecklenburgi & Lingæ comitatus aſſerti.*
(*p*) *Conceſſo in comitatu Limburgico in Franconia ſucceſſionis jure.*

Digitized by Google

SAPIENS

qui
A Majoribus *Virtute* parta
Consilio firmavit.
Rerum momenta probe expendere,
In medium IPSE consulere,
Recta consulentes audire,
Mature consulta strenue exsequi
Doctus,
Nunquam irriti auctor consilii,
Nunquam successu destitutus,
Omni *tempori serviendo*,
Ut SIBI omne *tempus serviret*,
Impetravit.
Præsentibus pensim intentus,
Futura caute prospiciens,
SUÆ alienæque fortunæ arbiter,
In *obsequio* habere Deam visus est,
Quæ ceteris *mortalibus dominatur*.
Prudentia *Auctoritatem*,
Munificentia *Amorem*,
Splendore *Majestatem*
Consecutus,
Diligi meruit pariterque timeri,
Pervagata in omnes oras
SUI Nominis fama,
ut Salomonem Prussiacum
In Ædificiis & Hortis,
In Cultu & Comitatu
In Suppellectile aulica & Apparatu,
In Ministeriorum ordinibus,
In copia Opum & ostentatione
Æqualiter ubique Magnificum,
Spectatum
Prope proculque dissiti
Mirabundi accederent. (*q*)

(*q*) *In Salomone Israelitarum rege paria laudat Sacra historia* 1. Reg. 10.

PACIFICUS

qui
Cum Pace velut *ad Pacem*
Natus (*r*)
Felici Nominis (*s*) omine *Paci*
Initiatus,
Pacis ſtudiis innutritus, (*t*)
Sceptra *in Pace* capeſſivit, (*u*)
In Pace Succeſſori tradidit,
Concuſſa funeſtis motibus univerſa Europa,
Solus Regum
In *Regno Suo* quietus, (*x*)
Lambentem undique provinciarum limites
Bellorum flammam,
Conſilio magis reſtinxit,
Strepentiaque circumquaque arma
Fama non vi profligavit.
Pacem tamen habuit *armatam*,
Ne qui neminem IPSE laceſſeret,
SE laceſſendi
Alios opportunitate alliceret:
In Bello Pacis
In Pace Belli armorumque
Gloria pariter inclutus.
Bella geſſit non SUA, (*a*)
Pro Salute *Patriæ*,
Pro libertate *Europæ*,
Pro fide *Fœderum*,
Pro gloria *Gentis*,
ubique

VICTORIOSUS

Socialibus armis
Europam late pervagatus,
apud *Iſtrum*. (*b*)

Otto-

(*r*) *Ao. 1657. eo ipſo tempore, quo de Pace paulo poſt concilianda Velaviæ agebatur.*
(*s*) Fridericus *enim* Pacis cultorem *aut* Pacis divitem *dicit.*
(*t*) *In literas quam in arma adoleſcens inclinatione ferebatur magis.*
(*u*) *Ao. 1688. cum præter extrema Hungariæ in reliqua Europa bella ſilerent.*
(*x*) *Una enim Pruſſia extra bellorum offenſionem permanſit.*
(*a*) *Sed aut ex decreto Comitiorum pro tuendo Imperio præſcriptas, aut Fœderatis auxiliares copias ſubmittendo.*
(*b*) *Prælio Salankemenſi. Ao. 1691.*

Digitized by Google

Ottomannorum temeritatem caſtigavit:
apud *Rhenum*
Clauſtra amni impoſita perrupit,
Arces ſervitutem Germaniæ
Superne & inferne minantes
recuperavit: (c)
apud *Danubium* (d)
Cæſis conjuratorum hoſtium
Conjunctis exercitibus,
Effuſam in viſcera Imperii potentiam
Ultra fines retudit,
Terrorem hoſtibus, ſecuritatem civibus
reddidit:
Tranſcenſis *Alpibus*
Oblita vetuſtate *Brennorum* veſtigia
relegens
apud *Padum* (e)
Uno Prælio
Trium annorum operoſiſſimos labores
Hoſti eripuit,
Lapſam Fœderatorum rem
Reſtituit:
apud *Scaldim* (f)
Nutantes Sociorum ſucceſſus
Felici audacia ſuſtinuit:
apud *Hannones* (g)
Arti viribusque hoſtium
Suorum Sociorumque *virtutem*
Superiorem eſſe evicit.
Victor
Non SIBI ſed aliis
Gloria victoriæ contentus
Fructum aliis conceſſit.

PATER PATRIÆ,

Provincias incolis & colonis,
Urbes opificiis & mercimoniis,

Fines

(c) *Cæſaris Inſula bis, Ao. 1689. & 1702. Bonna 1689. Landavia 1704. recuperatis.*
(d) *Prælio Hochſtettano. Ao.* 1704.
(e) *Prælio Taurinenſi. Ao.* 1706.
(f) *Iteratis eodem anno* 1708. *prœliis.*
(g) *Prælio Malplaquetenſi. Ao.* 1709.

Digitized by Google

Fines munimentis
Copias numero & armis
insigniter auxit
Reverentiam ab *Hostibus*,
Fiduciam ab *Amicis*,
Opulentiam pro *Subditis*,
Felicitatem *in publicum*
impetravit.
Literas artesque favore excitavit,
Beneficiis in sublime extulit.
Palæstram eruditis
Scientiarum Societatem (*h*)
Academias Juventuti (*i*)
Gymnasia artium ingenuarum cultoribus (*k*)
Ad invidiam Exterorum
Ornamentum Patriæ
Utilitatem publicam
Incredibili studio
Majore munificentia
instituit.
Regiam Berolinensem
Pomœriis in immensum promotis
Ædificiis ad stuporem magnificis
adeo evexit, ut
Corona urbium,
Germaniæ decus,
Splendoris exemplum,
Artium officina,
Eruditionis parnassus,
Opum receptaculum,
Elegantiæ magistra,
Omnis Amœnitatis compendium
merito audiat,
Digna REGE sedes,

Quem

(*h*) *Ao.* 1700.
(*i*) *Universitatem Halensem. Ao.* 1694. *Academiam illustrem generosæ pubi instituendæ Berolini Ao.* 1705. *Gymnasium illustre Halæ Magdeb. Ao.* 1712.
(*k*) *Academiam artium Picturiæ, Statuariæ & Architectonicæ. Ao.* 1696.

Digitized by Google

Quem Augusti gloriam æmulatum
Quam *lateritiam* accepit
Marmoream relinquentem
Alterum Conditorem suum
Summo jure veneratur.
Præter *Palatium* Regium
Aureæ Neronis *Domus* æmulum
Pons amni juxtà impositus
Statua equestri
Friderici Wilhelmi Magni
vere *Triumphalis*
Armamentarium
Qua *Structuræ* elegantiam
Regia Martis,
Qua *Instrumenti* bellici
Copiam, varietatem, nitorem
Vulcani Officina,
Amphitheatrum
Romanæ olim magnitudinis imitamentum,
& quis omnia?
Fidem faciunt intuentibus,
Quod *fabulæ* loco multis est,
& *olim* fuisse
Quæ pro *Miraculis orbis*
celebrari meruerint.
Itaque
GLORIOSUS
qui
Gloriam Majorum sic *illustravit*,
ut *obscuraret*,
Posteris talem tradidit,
Cui incrementum accedere
vix posse videatur.
Quos *summis principibus*
Raræ gloriæ *singulares* titulos
Venerabunda tribuere solebat
prisca ætas,
In SE *cunctos* transtulit,
nulla gloriæ parte relicta

quam non jure SIBI vindicet,
Pace, Bello, Domi, Foris
peræque illuſtris.
Ergo
Principem optimum,
Regem fortunatiſſimum,
Dominum benigniſſimum,
Benefactorem largiſſimum
Germaniæ Palladium,
Fœderatorum fiduciam,
Religionis columen,
Literarum ſtatorem,
Miſerorum aſylum,
Suorum delicias,
Exterorum admirationem,
amiſſum (*l*)
Lugete præſentes
Veneramini poſt futuri
Celebret omnis ævi memoria
Fama ad aſtra vehat,
ubi jam ILLE
Omni humano faſtigio ſublimior
calcat Olympum.

(*l*) *d. XXV. Feb. h. A. M DCC XIII.*

Digitized by Google